

anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in VII *Physicorum*, c. 3. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos et bonos facit, non nisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, proveniret.

» Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando et phantasmatum permutationem. Et ideo apud multos in dubitatione remanent ea quæ sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et præcipue cum videant a diversis qui sapientes dicuntur diversa doceri. Inter multa etiam vera quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit, per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.

» Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quæ ratio investigare potest fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore.

» Hinc est quod dicitur: *Jam non ambuletis sicut et gentes ambulat, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, Ephes. iv, 17 et 18. Et: Ponam universos filios tuos doctos a Domino, Is., liv, 13.* »

Idem docet synodus Vaticana, constit. *Dei Filius*, cap. 2, de *Revelatione*: « Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, Rom., i, 20*: attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via, seipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam*

multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio, Hebr., i, 1 et 2.

» Huic divinæ revelationitribuendum quidem est, ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsentis quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. » In præsentis ergo conditione, nempe intellectu humano per peccatum debilitato et non parum obscurato, nisi divina revelatione illustraretur et firmaretur, ratio humana non expedite, non firma certitudine, et non multo admixto errore, etiam ea quæ in rebus divinis ipsi per se impervia non sunt non cognosceret. Unde exurgit necessitas moralis divinæ revelationis. Quæ sint autem notæ divinæ ac supernaturalis revelationis, dictum est in tractatu *de Fide*, dissert. II, ubi ut motiva credibilitatis religionis Christianæ assignantur vaticinia prophetarum, miracula et modus mirabilis et plane divinus quo Religio Christi fuit fundata et propagata.]

DISSERTATIO II

DE SCRIPTURA SACRA

ARTICULUS I

Quid sit et an sit Scriptura sacra?

Dico 1^o: Scriptura sacra est verbum Dei scriptum. Intellige *τὸ Dei* non per modum puri genitivi, ut cum dicitur *liber Petri*, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur *lex Cæsaris*.

Itaque *τὸ verbum Dei*, in hac definitione, est genus in quo convenit Scriptura sacra cum *traditionibus*; per hanc autem particulam, *scriptum*, ab illis differt. Quamvis enim traditiones possint scripto mandari, vel a Patribus, vel a

conciliis, vel a Pontificibus, non tamen sunt verbum Dei ab ipso scriptum. Similiter, si Deus approbaret aliquem librum, licet foret infallibilis autoritatis, non esset tamen verbum Dei scriptum, nec Scriptura sacra.

Dico 2^o: Existit Scriptura sacra.

Prob. 1^o autoritate Ecclesiae, quam infra probabimus infallibilem.

2^o Illa Scriptura est vere divina: 1^o quæ plura futura longe ante prædixit prout revera et adamussim fuerunt postea impleta; 2^o quæ mirabili et stupendo modo annuntiata est et propagata in toto mundo per homines pauperes, rudes et idiotas, quamvis plura confineat supra rationem et contraria sensibus; 3^o quæ infinitis prope miraculis est confirmata; 4^o quæ innumerabilium martyrum sanguine effuso est sigillata et defensata; 5^o quam tot populi, tot nationes, repugnante licet natura, contradicentibus principibus, magistratibus et philosophis, acceptarunt; 6^o denique quæ est adeo pura ac sancta, ut nihil nisi malum prohibeat, nihil nisi bonum præcipiat. Atqui hujusmodi est Scriptura quam dicimus sacram et divinam. Pro quo vide quæ latius dixi de motivis credibilitatis fidei nostræ. Ergo.

3^o Deus est necessario ab hominibus colendus ut autor naturæ et gratiæ. Nescit autem homo, qua ratione, quo ritu Deus velit coli, nisi Deus ipse manifestet. Id ergo Deus manifestavit hominibus. At quomodo manifestavit? Vel per spiritum privatum, vel per viros sanctos, Prophetas et Apostolos a se delegatos. Non per spiritum privatum, quia non est certus, sed varius et sæpe sibi contrarius, unum uni suadens, alteri oppositum, ut patet in hæreticis, qui eo ducuntur. Ergo per viros sanctos a se delegatos, Prophetas et Apostolos, qui veritates a Deo sibi revelatas litteris mandaverunt, et nobis transmiserunt.

Petes utrum singula Scripturæ verba sint a Spiritu sancto dictata?

Resp. probabilius affirmative.

1^o Quia Scriptura sacra est scriptura Dei, seu verbum

Dei a Deo scriptum, ut diximus articulo præcedenti. Atqui, si Deus dictet tantum sensus et sententias, non ipsa verba, scriptori quo tamquam calamo utitur, non poterit dici scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, eo scilicet modo quo scribit; sed erit scriptura hominis, et verbum ab homine scriptum, ut patet. Ergo.

Confirmatur 1^o. Sensus et sententiæ definitionum quas edunt concilia generalia, sunt dictatæ et inspiratæ a Deo, juxta illud Apostolorum in primo concilio, *Act.*, xv, 28: *Visum est Spiritui sancto*. Atqui tamen non sunt Scriptura sacra, quia nempe verba non dictantur a Spiritu sancto, sed relinquuntur arbitrio hominum. Ergo.

Confirmatur 2^o. Epistola cujus rex dictasset sensus et sententias, sed ipse eam non scripsisset, posset quidem dici epistola et mandatum regis, hoc est, nomine et jussu regis scriptum, sed non esset scriptura regis, nec verbum a rege scriptum. Ergo similiter, licet Deus inspiret sensus et sententias alicujus libri, si tamen ipse non scribat eo saltem modo quo scribit, dictando verba homini quo utitur tamquam calamo, iste liber poterit dici mandatum, aut etiam, si vis, epistola Dei, id est, nomine Dei scripta, sed non erit scriptura Dei, nec verbum a Deo scriptum.

[Sententia a nostro Billuart professæ, quamvis libere defendi possit, absolutior forsitan ex sequentibus apparebit.

Exponendæ sunt primum variæ opiniones quæ circa hanc quæstionem prodierunt.

1^o Existimarunt nonnulli, qui rigidioris inspirationis sectatores dicuntur, non res solum atque sententias inspiratas fuisse, sed et verba singula et commata, etiam apices; ita ut libri sacri fuerint exarati Deo dictante, et scriptores sacri nihil propria industria sibi comparaverint, nequidem historica et moralia. Huic sententiæ, quam suam facit Billuart, adhæserunt Academia Lovaniensis et Duacena in sua censura contra Lessium.

2^o Liberalioris inspirationis assertores postulant, primo, motionem divinam positivam ad scribendum, et insuper

assistentiam Spiritus sancti, qua Deus suggerat quid scribendum sit vel omittendum, et scriptorem in verborum etiam delectu et periodorum nexu dirigat et moderetur, quin tamen verba singula proprie dictet.

3^o Alii laxiores, præter motionem et incitamentum ad scribendum, assistantiam tantum negativam requirunt, in eo nimirum positam, quod Deus ita scriptoribus adstet, ut a quovis vel minimo errore immunes efficiantur.

4^o Hic alii non sistunt, sed ad inspirationem sufficere contendunt, ut Spiritus sanctus ita scriptores afflet, quod graviores saltem errores ipsi præcaveant.

5^o Ulterius etiam alii progredientes, ad Scripturam vere sanctam efficiendam sufficere affirmant, ut Spiritus sanctus nihil falsi in aliquo libro contineri testetur, quamvis liber humana industria et absque ullo afflatu divino fuerit conscriptus.

Respuenda est certe ultima opinio. Ejusmodi enim Spiritus sancti testimonium certiores quidem nos faceret talem librum esse veracem, at non inde sequeretur illum esse vere divinum. Sic, *ad Tit.*, I, 3, Spiritus sanctus per Paulum testatur dictum quoddam de Cretensibus esse verum; sed non ideo illud divinum est.

Ex quarta opinione liceret asserere Scripturam sacram quibusdam scater erroribus, quod quidem ab Ecclesiæ catholicæ sensu est prorsus alienum, et ab Augustino damnatur, qui *Epist.* 82¹, n. 3, ad Hieronymum scribit: « Ego... solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. » Idem repetit n. 22, et in *Epist.* 28² ad eundem, n. 3, et alibi.

Assistentia negativa non satis adæquatam nobis exhibet inspirationis notionem, et competere etiam posset dogmaticis conciliorum vel summorum Pontificum definitioni-

1. Olim 19. — 2. Olim 8.

bus, quas tamen inspiratas non licet dicere, eo sensu quo libros sacros nuncupamus inspiratos.

Rejectis his laxioribus sententiis, non necessario subscribendum est rigidiori opinioni, quæ vult inspirationem extendi ad singula verba. Etenim: 1^o Hoc superfluum videtur. Porro divinæ providentiæ ratio, quæ nunquam in necessariis deest, neque in superfluis abundare solet. 2^o Magna styli varietas in diversis libris sacris elucet, et non esset congruum affirmare Spiritum sanctum absque ulla necessitate locutiones suas accommodasse vario singulorum scriptorum ingenio. Quin imo, si verum esset Spiritum sanctum ita omnia dictasse, ut scriptores sacri mere passive in scribendo se habuissent, perfecta styli uniformitas necessaria esset, ut cunctis libris eadem origo, scilicet inspiratio divina, tribui posset.

Ideo mediam viam ineuntes, illam inspirationis notionem amplectimur quam tenuit Marchini, *de Divinit et canonica sacr. biblior.*, part. I, art. 5, ita ut dicenda sit « singularis ea Spiritus sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac præsentia, mentem animumque scriptoris gubernans, quæ eum non sinit errare, efficitque ut scribat quæ velit Deus. » Ex qua notione patet illa omnia in inspiratione divina reperiri, quæ ad eam constituendam requiruntur ac sufficiunt, ex communi theologorum doctrina, nempe 1^o excitationem seu impulsionem ad scribendum; 2^o illustrationem mentis ac motionem voluntatis, ut non solum nullus sacro scriptori excidat error, sed 3^o præterea inveniatur in eo delectus rerum scribendarum, ita ut nihil omittat, nihilque adiciat ad ea quæ Deus scribi ab eo voluerit; 4^o assistantiam jugem ac singularem in opere perficiendo. Quæ omnia certe sufficiunt et nihil amplius optandum relinquunt.

Eo sensu intelligenda sunt loca Scripturæ quæ ad divinam inspirationem referuntur, ut *Ps.* XLIV, 2: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* II *Tim.*, III, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est,* etc. Et immerito sequaces rigidioris sententiæ hæc et similia verba invocant.

Confirmatur sequentibus verbis concilii Trident, sess. iv, *Decr. de canonicis Scripturis* : « Orthodoxorum Patrum exempla secuta [synodus], omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit author, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. » Ubi Deo quidem tribuuntur, ut authori, libri utriusque Testamenti, sed docetur insuper ipsas « traditiones sine scripto » a Spiritu sancto fuisse dictatas. Porro traditiones non fuerunt de verbo ad verbum dictatæ, sed Spiritu sancto afflante quoad sensum tantum inspiratæ et conservatæ, et nihilominus ut divinæ suscipiuntur. Ergo inspiratio divina Scripturarum nihil amplius requirit, ut Deus earum author sit.

Eo sensu accipiendum esse videtur quod docet Vaticana synodus de inspiratione sacrorum librorum, ubi reprobantur præsertim duæ laxiores opiniones supra expositæ, constit. *Dei Filius*, cap. 2, *de Revelatione* : « Eos vero [libros] Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod, sola humana industria concinnati, sua deinde autoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod, Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum habent authorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt. »]

ARTICULUS II

De Scripturæ sacræ divisione, apographis et versionibus

Petes 1° quomodo dividatur Scriptura sacra.

Resp. 1°. Dividitur in vetus et novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum sacrorum qui promittunt liberatorem venturum, cum præceptis antiquæ legis. Novum Testamentum est collectio librorum

sacrorum qui promissum liberatorem præsentem exhibent, cum præceptis novæ legis.

Libri canonici veteris Testamenti sunt numero quadraginta quinque; libri canonici novi Testamenti viginti septem: omnes septuaginta duo. Ita Trid., sess. iv, *Decret. de canon. Scripturis*.

[In præfato decreto adnumerantur singulatim, ut canonici, omnes libri qui in nostra Vulgata editione continentur.

Post hanc enumerationem legitur canon sequens: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit; anathema sit. »

Synodus Vaticana idem decernit, constit. *Dei Filius*, cap. 2, *de Revelatione*: « Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in in ejusdem concilii [Trident.] decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis habendi sunt. » In quo vero consistat librorum sacrorum canonicitas, sancta synodus postea explicat, cujus textus fuit relatus in fine præced. art.]

2° Dividuntur libri canonici, tam veteris quam novi Testamenti, in protocanonicos et deuterocanonicos. Protocanonicus sunt de quibus nunquam fuit dubitatum; deuterocanonicus sunt de quibus ante Innocentium I et concilium Carthaginense III ab aliquibus fuit dubitatum.

Neque tamen sunt minoris auctoritatis quam protocanonicus; quia, tam in illis, quam in istis, est eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat quod de deuterocanonicis aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est; istud enim dubium non fuit positivum ex parte Ecclesiæ, quasi illos judicasset aut declarasset dubios, sed ex parte quorundam Patrum: quod dubium in illis aliquamdiu tole-

ravit Ecclesia, donec tandem, re plenius discussa et elucidata traditione, illos in canone inseruit.

[Scripturæ deuterocononicæ sunt: ex veteri Testamento, Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Hymnus trium puerorum, *Dan.*, III, Historia Susannæ et draconis, *ibid.*, XIII et XIV, Oratio Azariæ, Oratio Jeremiæ circa finem Threnorum, primus et secundus liber Machabæorum. Ex novo Testamento, caput ultimum Marci, ab eo loco: *Surgens Jesus*; historia de sudore Christi sanguineo et de ejus confortatione per angelum, *Luc.*, XXII; historia mulieris adulteræ, *Joann.*, VIII; hæc verba ex epistola prima Joannis, v, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*; tota epistola S. Pauli ad Hebræos; epistolæ Jacobi et Judæ; secunda epistola Petri, secunda et tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis.

Ut scripturæ apocryphæ fuerunt ab Ecclesia rejecti, tertius et quartus liber Esdræ, tertius et quartus Machabæorum, Oratio regis Manasses captivi in Babylone, Appendix libri Job, ubi describitur ejus genealogia, Præfatiuncula Threnorum quæ incipit: *Et factum est*, Epistola Jesu ad Abgarum regem, Evangelia quæ sub nominibus Andree, Bartholomæi, Barnabæ, Nicodemi et aliorum circumferuntur.

Tridentino decreto de libris canonicis non acquieverunt Protestantes, sicut in cæteris, ita in sacrorum librorum canone statuendo etiam inter se dissidentes. Omnes libros deuterocononicos veteris Testamenti expungunt. Sed Lutherus ejusque asseclæ omnes quoque libros deuterocononicos novi Testamenti repudiant, nimirum Epistolam ad Hebræos, Epistolas Jacobi et Judæ, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis et Apocalypsim; e contra Calvinistæ hos omnes libros admittunt.

Advertendum tamen est, non eandem esse de Scripturarum canone omnium Protestantium sententiam. Recentiores, qui inter ipsos orthodoxi vocantur, plures libros deuterocononicos novi Testamenti admittunt; alii, quos

heterodoxos dicunt, plures etiam protocononicos rejiciunt, et quamvis ad Scripturas, tamquam ad unicam fidei regulam, non cessent appellare, attamen ex Scripturis expungenda decernunt, pro libitu, quæcumque cum eorum erroribus non consentiunt, aut quæ fastidit carnalis et superba sapientia. Inter cavillationes quibus canonem sacrorum librorum a concilio Tridentino statutum impugnant, dicunt veteres Patres majorem autoritatem tribuisse libris protocononicis quam cæteris. Hoc fortasse evenit, quando SS. Patres Judæos et hæreticos refellebant, contra quos argumenta desumebant præsertim ex Scripturis quarum adversarii ipsi divinitatem admittebant; non ita tamen ut de divina librorum deuterocononicorum origine dubitaverint.

Limitibus nimis angustis coaretamur, ut nobis liceat omnium librorum quos respuunt novatores canonicitatem seu authenticitatem demonstrare. Hæ difficultates et plures aliæ quæstiones criticæ fuerunt solutæ ab auctoribus qui hermeneuticæ sacræ præcipue incubuerunt.]

3º Dividuntur libri canonici in historiales, prophetales et doctrinales.

Petes 2º qua lingua fuerit originaliter scripta Scriptura sacra.

Resp. vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraice, exceptis libris Tobie, Judith, Esdræ et Danielis, qui tempore captivitatis Babylonicæ fuerunt scripti chaldaica lingua Babyloniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabæorum, qui, juxta Hieronymum, scriptus est græce. Quidam idem opinantur de libro Sapientiæ; erat enim lingua græca familiaris Judæis.

Novum autem Testamentum scriptum est primitus græce, excepto S. Matthæi Evangelio, quod fuit scriptum hebraice seu syriace. Idem tenent de Epistola ad Hebræos Hieronymus, Theodoretus et alii communius, contra Origenem et Clementem Alexandrinum.

Verum nulla nunc exstant Scripturæ sacræ autographa

seu textus originales, sed apographa tantum exemplaria et versiones in alias linguas, ut sunt chaldaica, syriaca, græca et latina.

[Editiones aut versiones sacræ Scripturæ ad quatuor classes revocantur. Prima est editio hebraica, ad quam reducuntur syriaca, samaritana et chaldaica, quæ potius paraphrasis est quam versio, Judæorum fabulis et Thalmudistarum nugis scatens, et vulgo *Targum* appellatur. Secunda est græca, quæ etsi multiplex, omnium tamen prima et accuratior est, quam curante Ptolemæo Philadelpho, Ægypti rege, septuaginta Interpretes condiderunt, et quæ usæ fuit Ecclesia annis circiter sexcentis. Illam successu temporum ac librariorum incuria mendis pluribus vitiatam emendavit S. Lucianus, ac deinde S. Hieronymus. Tertia est latina, eaque ex innumeris quæ ævo SS. Hieronymi et Augustini circumferebantur, præcipue est triplex: Videlicet *antiqua*, quam S. Augustinus *italam*, S. Hieronymus *communem*, S. Gregorius *veterem*, Orosius *vulgatam* appellant; deinde *nova*, quæ fuit versio S. Hieronymi, quamque antiquæ postponebat S. Augustinus, sed præferebat Isidorus, fuitque in pretio et veneratione magna in Ecclesia; denique ea quæ post S. Gregorii tempora conflata est, non ex tota antiqua, nec ex tota nova, sed nonnullos libros eo exhibens modo quo antiqua, et alios eo quo nova exhibebat. Hæc est hodierna nostra *Vulgata*, quæ in Ecclesia jam invaluit, et multorum sæculorum usu recepta est. Quarta demum est versio *vernacula*, quæ, pro vulgarij idiomatum varietate, est ac potest esse varia ac diversissima, habetque vel catholicos vel acatholicos authores.]

Petes 3^o quæ sit autoritas textus hebraici et græci, nec non editionis *Septuaginta*.

Resp. Textus hebraicus et græcus, prout nunc exstant, non sunt authentici nec irrefragabilis autoritatis; sunt tamen ad plura utiles.

Prob. prima pars. 1^o Quia Ecclesia suo iudicio irreformabili illos non probavit, nec authenticos declaravit, sicut

declaravit authenticam editionem vulgatam, de qua modo.

2^o Quia, licet ante Christum, imo et post Christum, ante Hieronymum, non fuerint notabiliter depravati, nunc tamen pluribus et gravibus scatent erroribus.

Prob. secunda pars. Textus hebraicus et græcus sunt utiles, 1^o ad firmandam in multis latinam Vulgatam; 2^o ad corrigendos typographorum errores; 3^o ad determinandam dubiam Vulgatæ significationem; 4^o dum ex varietate codicum dubitatur quæ sit vulgata lectio, ex textibus hebræis et græcis juvatur ad eam cognoscendam; 5^o valent ut verborum vis et proprietas melius percipiatur, et quæ sunt obscura et difficilia, facilius intelligantur.

Quod diximus de textibus hebraicis et græcis, idem dicendum est de versione *Septuaginta*; quamvis enim in suo principio fuerit authentica, et etiam aliquamdiu post Christum esset magnæ autoritatis in Ecclesia, nunc tamen non est authentica, nec irrefragabilis autoritatis, tum quia Ecclesia eam non declaravit authenticam, tum quia tempore Hieronymi erat jam notabiliter vitiatam, ut testatur S. Doctor in præfatione in I *Paralip.* et in cap. xxx *Isaiæ* et v *Ezech.*

Nec refert quod Sixtus V, anno 1586, versionem græcam *Septuaginta* a se correctam jubeat, « ut ab omnibus recipiatur et retineatur. » Non enim jubet eam recipi ut authenticam, sed, ut dicit, ut utilem « ad latinæ vulgatæ editionis et veterum Patrum intelligentiam. »

Petes 4^o quæ sit autoritas Vulgatæ editionis.

Resp. Vulgata editio, eaque sola, est authentica et certa fidei regula.

Prob. Hæc et sola versio est authentica, quam authenticam solemnè decreto declaravit universalis Ecclesia; est enim Ecclesia regula infallibilis discernendi Scripturam divinam, ut probavimus dissert. I præcedentis tractatus, art. 2, et probabimus adhuc infra: unde illud notum Augustini *contra Epist. fundamenti*, cap. 5, n. 6: « Evangelio non crederem, nisi me catholicæ